

T E N T A M E N

M E D I C U M

DE FEBRIBUS PUTRIDIS;

Q U O D in Augustissimo Ludovico Medico
Monspelienſi proponebat

A U C T O R

SPIRITUS-JOSEPHUS-JULIANUS ROBERT, Miner-
bienſis in Comitatu Venaffino, Liberalium Artium
Magiſter, nec-non Medicinæ jamdudum Alumnus,
die menſis Martii 1787.

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO;



M O N S P E L I I,

Apud JOANNEM MARTEL, NATU MAJOREM, Regis, Occi-
taniæ Comitiorum, Universitatisque Typographum
Conſuetum.

M. DCC. LXXXVII.



AVUNCULO SUO CARISSIMO

RECTORI PAROCHIAE DE PIPRIAC

APUD ARMORICOS.


AVUNCULE CARISSIME,

Pro summis quibus me cumulasti Beneficiis dignas tibi referre grates maximè optarem. Velis igitur has studii Medici primitias, quas tibi voveret solus amor, etiam tanquam grati animi monumentum accipere.

Ad felicitatem ovium tuarum, propinquorum amicorumque tuorum diù incolumis vivas, mihi que semper adsis. Hæc sunt quæ totâ mente petit,

Obsequentissimus Nepos
S. J. ROBERT.

Parva quidem fateor pro magnis munera reddi.



T E N T A M E N
M E D I C U M
D E F E B R I B U S P U T R I D I S .

Uti non paucis accidere video , qui audito febris
putridæ nomine , rem se tenere , non verò solum
vocabulum arbitrantur diversissimis febribus imponi
solutum.

STOLL de natura dissenteriae , Cap. primum.



PUTRIDATIS voce quid intelligendum sit parùm
inter se conveniunt Auctores. Veteres putridas
appellabant omnes febres ab humorum altera-
tione pendentes , vel ut loquitur Illustrissimus
D. de Grimaud , cum læsione virium digestiva-
rum. Quidam inter neotericos primarum viarum degenerationes
sub hoc vocabulo designant ut *Fizes* , *Zimmermann* , &c. Nos
autem cum plerisque , & cum præstantissimis in arte Viris ,
putridas vocamus febres cum materies eas fovens ad summum

degenerationis gradum provecta, intra humorum circulantium ditionem irruit, & pessima producit symptomata quorum magis communia hæc sunt: magna virium prostratio, animi vehemens dejectio, humorum nimia tenuitas quæ per hemorrhagias spontaneas indicatur, solidorum laxatio, lingua nigra & arida faucibus simul & dentibus fæda sorde tectis, spiritus fætidus, sudorum, urinarum, dejectionumque per alvum summa quoque fætiditas, pulsus debilis, celer & inæqualis, oculorum squallor & imminuta vivacitas, petechiæ lividæ aut nigrae in cute apparentes, &c. Cum morbus ad ultimum gradum est perventus, evenit gangræna; anhelosa, cita, admodumque anxiosa fit respiratio, connivent oculi, adveniunt singultus, manuum tremor, tendinum subsultus. In cadaveribus omentum, ventriculus, intestina, aliaque viscera maculis lividis, gangrænoidis conspersa, sæpè etiam sphacelata reperiuntur.

Interdum sporadicæ sunt istæ febres; sed sæpius epidemicè vigent, quia à qualitatibus aëris insensilibus quibus obnoxii sunt plurimi, plerumque oriuntur. Grassantur præcipuè in locis ubi magna hominum caterva conclusa manet, & ubi idè multum aër depravatur, & satis renovari non potest. Quapropter sub nomine febrium castrorum, carcerum, nosocomiorum à plurimis descriptæ fuerunt. A vaporibus aquarum stagnantium sæpè etiam proveniunt; hinc apud quosdam sub nomine febrium paludum descriptæ reperiuntur.

A symptomatibus nomen adhuc traxerunt; hinc petechiales, miliares, scarlatinosa, &c., dictæ fuerunt.

A loco simul affecto; hinc angina, peripneumonia, dysenteria, putridæ, malignæ.

Sed omnes istæ divisiones, ut optimè notat Ill. *Weiss*, non sunt practicæ, Medicum enim in sanando non dirigent, sed natura febris.

Quoad naturam igitur; tanquam febres indolis particularis atque per se existentes à pluribus Medicis habentur. At cum suprà descriptorum symptomatum apparatus sæpè existit in

morbis essentialiter diversis, id est à causâ materiali prorsus diversâ productis; quod probatur ex diversissimis methodis curandi in iis feliciter adhibitis, concludendum mihi videtur è contrâ quod istarum febrium natura seu indoles non fit semper eadem, & quod periculosum esset ideò illas semper eodem modo tractare.

Itaque tot agnoscemus febrium putridarum species, quot sunt in corpore animali vivo humores illum quem putredinem constituere diximus degenerationis gradum aquirendi capaces. Undè fluit earum divisio in putridas biliosas, putridas pituitosas, & putridas inflammatorias seu sanguineas, quæ etsi eadem ferè symptomata exhibeant, non eandem tamen curationem admittunt, & ideò benè distingui merentur. Illud punctum ut adimpleamus de singulis seorsim agemus, signa cuique peculiariora tradendo, & circumstantias notando quæ ad stabiliendam hanc distinctionem inservire queunt. Sit ergò & primum;

DE PUTRIDA BILIOSA. Originem duplicem huic morbo assignare possumus, bilis scilicet corruptæ in primis viis colluviem, quæ neglecta, aut pravè tractata in secundas transit, & sic totam humorum massam infecit; aut miasmata putrida in aëre dispersa per vasa cutis inhalantia in corpus introducta, quæ huic humori putredinem induxerunt.

Inter illius causas numerandæ sunt omnes quæ bilis degenerationem adducere valent, ut cœli constitutio admodum calida, defectus fructuum, usus pravorum alimentorum, carniū præsertim & piscium salitorum, abusus mercurialium & antimonialium quæ humores ad bilefcentiam maximè disponunt, animi pathemata, ut ira, indignatio, mœror, paludum aut substantiarum putrescentium effluvia.

Eam denunciant virium debilitas, pulsus parvus sæpè intermittens, delirium ferox, calor interiora deurens dum frigent extrema, calor cutis flavus in facie præsertim atque oculis, lingua ficca crustâ flavâ aut nigrâ tecta, cæteraquæ signa quæ putredinem indicare diximus.

Sed utrum febris putrida à bilis corruptione pendeat, ex his potissimum dignoscetur; si æger temperamento cholericò sit donatus, si per æstatem eam experiatur, & biliosa sit epidemia regnans; si præ extiterint signa biliosæ primarum viarum saburræ, & illa aut neglecta, au pravè tractata fuerit; nam ut ait *Stoll*, febres biliosæ in putridas convertuntur neglectu potissimum, aut regimine calido, aut phlebotomiis præter rationem institutis; si tandem precesserint causæ suprâ recensitæ.

Ut recta instituatur curatio ad morbi tempora attendendum est. In primis enim morbi diebus, cum adhuc levia sunt symptomata, si à miasmatibus deleteriis in corpus receptis oriatur, aërem puriorem reddendo, & per remedia sudorifera, vesicantia imprimis diaphoresim movendo, tolli potest causa & sic effectus. Ut tutius prævertatur regimine corroborante uti oportet, cibis vegetabilibus vesci potius, vino generoso uti, potionibusquè frigidis & etiam niverigentibus à *Lancisio* commendatis. Cautela maximè necessaria est etiam non adire loca ubi aër est depravatus, & his miasmatibus inquinatus, nisi prius per alimenta tonica vires refocillatæ fuerint. Observavit enim *Lancisius* homines qui jejuni propè loca paludosa ambulabant facilius his morbis corripì.

Si verò morbus ex vitio primarum viarum suum initium traxerit, & si supersint adhuc illius indicia uti nausæ, os spurcum, ructus putridi, præcordiorum dolor, nifus ad vomitum, illico ad emeticum erit confugiendum ex tarturo stibiato, per id enim subitanea sequitur evacuatio, vel ex sola ipecacuanhâ, quia hæc rarò diarrhæam movet, quæ in his febribus multum periculi habet ob resorptionem materiæ, & ob debilitatem quam inducit. (*Fidler*) & quia præterea vi antisepticâ, aromaticâ, roborante in hoc casu perutili commendatur (*Stoll*).

Non solum propter vim evacuantem utile erit emeticum, sed diaphoresim etiam movet, & valebit quoque illud quod in secundis viis absorptum hæret, ejicere.

Remedium verò purgans ex tamarindis, cremore tartari aliisque hujusmodi biliosæ degenerationi appropriatis erit propinandum, si materies in intestinis stabuletur & deorsum vergat, quod indicabunt borborigmi, imi ventris ac lumborum dolores, &c.

Sed cum absterfis primis viis perstant adhuc putriditatis indicia, per antiseptica fortiora tunc oppugnanda est; & in hoc casu apprimè conveniunt cortex peruvianus magnâ dosi per os & per anum ingestus, acida mineralia largâ quoque dosi exhibita. Ad dosim usque duarum unciarum intra nictimeron à *Cotunio*, *Spielman* data fuerunt. *Sidenhamius* variolas vidit cum statu putrido à febre biliosâ gastricâ proveniente complicatas, in quibus virtutem specificam habuit spiritus vitrioli. Eidem scopo satisfaciunt etiam acida vegetabilia, ut acetum, succus citri, aurantiorum, malorum granatorum, limonada; aqua frigida hinc quoque commendatur. Ad instaurandas vires nimium debiles valdè proficuum erit vinum cum successu à *Celeb. Pringle* adhibitum, & nuperrimè ab *Illust. D. Vigarous* in febre epidemicâ quæ in carceribus *Monspeli* regnabat. Aër purus & frigidiusculus magnâ cum efficacîâ bilis degenerationem præpedit, & ideò actioni antisepticorum multum juvabit.

Sudores, nisi post materiei putridæ coctionem, non sunt excitandi. Idem de aliis evacuationibus dicendum. Sed omnibus excretionibus in hoc morbi tempore favendum est, & illis præcipuè quas ad morbi solutionem natura feligere videtur.

Cavendum hinc erit quam maximè à vesicantibus, quia humores dissolvunt, & timendum esset prætereâ ne gangrænam producerent in loco cui applicarentur.

Venæ-sectio hinc quoque locum non obtinet, nisi adesset inflammationis complicatio; & in hoc casu qui non rarò observatur, antè exhibitionem corticis peruviani instituenda erit. His circa febrem putridam biliosam statutis agamus nunc.

DE PUTRIDA PITUITOSA. Sicut bilis corruptioni obnoxia est pituita; & eadem prava symptomata quæ putredinem denunciant, non rarò exhibet. Admittenda est igitur febris putrida pituitosa quæ ab aliis benè distingui meretur; nam prorsus diversa institui debet curandi methodus, & istam multùm adaugerent remedia quæ alias profligare valent.

Variis sub nominibus ab auctoribus descripta fuit. Lentam nervosam quidam eam appellant, alii limphaticam, catharralem malignam alii, alii verò rheumaticam malignam.

Causæ huic degenerationis speciei faventes sunt; æris constitutio humida & frigida, in locis humidis habitatio, piscium, ciborum glutinosorum, butiraceorum abusus, & hæc est ratio monente *Grant*, quare apud Catholicos, sub finem jejunii quadragesimalis magis commune grassantur. Vita mollis ac sedenteria, affectus animi tristes ac diuturni, effluvia putrida, &c. Ei maximè obnoxii sunt infantes, senes, mulieres hominesque temperamenti laxi & humidi, illi qui nimias sanguinis evacuationes passi sunt.

Eam putridam evasisse indicant symptomata quæ in generali febrium putridarum descriptione tradidimus. Sed signa magis huic peculiaria sunt, magna in totâ solidorum compage laxitas ac mollities, ità ut notante *Galeno*, corpus inflatum & carnes tumefactæ appareant, pulsus quoquè admodùm mollis, quoad velocitatem à naturali parùm recedens, sæpè etiam tardior; quod penitus evertit doctrinam *Boerhavi*, qui à pulsus celeritate febris definitionem repetere voluit. Stupor præternaturalis & omnium sensuum hebetatio. Delirium mite dùm in aliis speciebus est sæpissimè ferox; cutis eruptiones miliares, dùm in biliosis ut plurimùm adsunt petechiæ. *Id mihi videor observasse*, ait *Stoll*, *miliarium genitricem materiem esse potius pituitosam, petechiarum bilioso putridam.*

Certiolem istius febris diagnofim habebimus, fi epidemice vigeant morbi mucofi, quod hieme sæpius evenit; fi paulò antè æger colluviem pituitofam in primis viis expertus fit, & illa non fuerit evacuata; fi à constitutione, ætate, aut victus ratione

ratione ei disponatur, & si causis suprà recensitis expositus fuerit.

Quoad Itherapeïam; attendendum erit primùm nùm adsit complicatio saburræ in primis viis, & in hoc casu statim propinandum est emeticum ex tartaro stibiato ob majorem vim incidentem ad expellendam hanc materiem glutinosam ac valdè tenacem magis appropriato. Hujus tamen remedii ut actio faciliior, tutiorque reddatur, præmittenda erunt solventia quæ materiem mobiliorem efficient, (nam ex *Hypocrate*, *corpora cum purgare velis fluxilia reddere oportet*) & huic scopo optimè satisfaciet dissolutio aliquot granorum salis ammoniaci in decocto graminis, vel taraxaci.

Si materia verò in intestinis hæreat, emetici vices supplere debent purgantia; & hîc adhibenda sunt cathartica dulcia, ut manna mercurialia, &c: quæ hanc degenerationis speciem corrigere valent, ut acida biliosam.

Repletis his indicationibus, ad remedia antiseptica fortiora deveniendum est; non verò ad eadem quæ in putriditate biliosâ commendavimus; nam acida, præsertim mineralia quæ in illâ putredinis specie modo tanquam specifico agunt, pravos in hâc ederent effectus, quod observatum fuit à Clariss. *Ludwig* in febribus putridis quæ notante *D. de Grimaud*, ad pituitosas pertinere videntur. Cortex etiam peruvianus, quamvis non sit rejiciendus, hîc non ità feliciter cedit. Sed vesicantia, alcalia volatilia quæ in biliosis contra-indicantur, hîc miros præstabunt effectus. Primas adhuc tenent inter remedia quæ pituitosam putriditatem profligare valent mercurialia, camphora, serpentaria virginiana, arnicæ flores, contrayervæ radix, vinum generosum ac valdè spirituosum cujus celebrantur boni effectus ab omnibus qui has febres tractaverunt. Maximè hîc etiam utilis erit aër purus & imprimis ficcus; ab eo enim mirum in modum sæpè mitigata fuerunt pravissima symptomata, ut ex observationibus Clariss. *Huxam*, *Sims*, *Vigarous* constat.

Servanda aperta omnia emunctoria & ducenda natura quò vergit.

Venæ-sectio hîc quoquè proscribenda ; ægrum enim potius quam morbum jugularet. Excipi debet tamen casus ubi simul existerent signa phlogoseos. Tractatam habemus febrem putridam pituitosam ; sed restat nunc dicendum.

DE PUTRIDA SANGUINEA. Existere febres putridas sanguineas aut inflammatorias nos evincunt plurimorum Auctorum observationes qui has febres ab antisepticis vulgaribus multum adauctas , & solis antiphlogisticis sanatas viderunt. Ità *Botal-lus* , *Sidenhamius* , *Riverius* , plurimique alii febres descripserunt quas pestilenciales vocant , quæ à nostris putridis differre non videntur , in quibus sola profuit cura antiphlogistica. Apud *Stoll* reperiuntur adhuc aliquot observationes quæ hujus febris existentiam confirmare valent.

Vere imprimis viget hæc febris ; homines robustos temperamento sanguineo , pletorico præditos præcipuè adoritur. Causæ illam procreare valentes sunt , constitutio cœli frigida & sicca , hemorrhagiarum consuetarum suppressio , diætâ lauta , aromatica , abusus liquorum spirituosorum , labores , aut exercitia violenta , diù protracta , &c. Aër conclusus effluviaque putrida eam quoquè inducere queunt , si eorum actionem experiatur subjectus suâ constitutione , aut victus ratione huic degenerationi prædispositus.

Quamvis in istâ febre observentur quoquè generalia putredinis signa , quo scdm tamen exhibet characteres quibus ab aliis distingui poterit. Pulsus ut plurimum est durus , tensus , plenus , lingua est admodum sicca , sed ut in aliis non est sordibus tecta , urinae in initio & statu morbi sunt limpidae , rubrae , respiratio in hac imprimis est difficilis & anxiosa. Si præterea epidemicè regnant morbi inflammatorii , quod ut plurimum observatur in fine hiemis & initio veris ; si æger constitutione robustâ , sanguineâ sit præditus , & actioni causarum huic degenerationi faventium expositus fuerit , aut si morbum inflammatorium simplicem neglexerit , vel regimine calefaciente tractaverit , maximâ tunc cum probabilitate putriditatem à statu sanguinis inflammatorio pendere suspicabimur ,

& levia antiphlogistica, parcas venæ-sectiones adhibere poterimus, quæ si morbo levamen afferant, probabilitatem incertitudinem transmutabunt, & ad instituendam medendi methodum merè antiphlogisticam nos audaciores efficient.

Vires in aliis putredinis speciebus exsolutæ, in hâc sunt tantum oppressæ; & ideo à cortice peruviano, vino, alexipharmacisque aliis in præcedentibus commendatis quam maximè abstinendum; tonum enim in hoc morbo semper nimium adaugerent, & sic morbi ferociam. Institui debet igitur è contrâ curandi methodus debilitans; & huic scopo satisfacient sanguinis missio pluries repetita, quæ inter auxilia antiphlogistica principem locum tenet, potus tepidi, omniaque emollientia & refrigerantia, uti sunt decocta hordei, altheæ, malvæ arboreæ, emulsiones amygdalinæ, linctus parati ex oleis & sirupis blandis, balnea, fomenta, clismata emollientissima; nitrum, acida vegetabilia, ut succus citri, aurantiorum, limonada, &c.

Multum hîc noceret aer frigidus, sed purus & etiam frigidiusculus esse debet; observavit enim *Sidenham* medicamenta summè refrigerantia, & repetitam sæpissimè phlebotomiam nehilum prodesse, dum interim æger lecto indefinenter affixus, ejus calore torreatur. *Res maximi momenti est*, ait etiam *Stoll* de febre putridâ sanguineâ agens, ægros è lecto eximere & sedili imponere ut erecti à somno prohibeantur. Nemo enim nisi expertus novit quantoperè somnus febrim incendat, vigiliæ verò, & coacta à somno abstinencia eamdem restinguat, & mentem à delirio præservet.

At cum existit delirium, moderandum est per ea quæ derivant humores inferiora versus; hinc venæ-sectio revellens, pediluvia, scarificationes, hirudines ad hemorrhoides, sinapismata plantæ pedum applicata erunt adhibenda; & postea deveniendum ad locales, seu derivativas sanguinis missiones per scarificationes aut hirudines institutas.

In hoc morbo adsunt sæpè vomituritiones, præcordiorum dolor, cæteraque signa saburram primarum viarum mentientia.

Sed sola ventriculi & intestinorum phlogosi producuntur, & ideo ab emeticis & purgantibus quæ ob irritationem quam inferrent in ea organa, illam exasperarent, maximâ cum cura abstinendum; & cum vera aderit complicatio saburræ, nisi post abstersam phlogosim tentanda non erit evacuatio.

De variis febrium putridarum speciebus pro virium modulo huc usque tractavimus, sed ut scopus noster perfectius adimpleatur, aliquid dicendum est de quibusdam accidentibus in iis frequenter evenientibus.

In febribus putridis maximè cavendum est à decubitu gangrenoso; hinc æger reponi frequenter in dorsum debet, latera, & ventrem, ut vitentur exulcerationes. Lectus, indusia munda, sicca sint; & si partes quædam dolere, rubere incipiant, corroborandæ erunt spiritu vini (1), alumine, saccharo saturni, emplastris saturninis, camphorâ & cretâ, &c. Cura maxima sit ad os coccygis & trochanteres. (*Weiss*). Decubitus jam factus curatur antisepticis, quæ semper humori degenerato accommodari debent.

Frequentissima est etiam in his febribus urinarum difficultas. Motus per cubiculum institutus earum excretionem expedit. Non fidendum spontaneæ excretioni urinarum. Repletâ enim & distentâ nimium vesicâ guttatim stillant, non tamen penitus evacuantur; hipogastrium indè erit examinandum, catheter applicandus, & si introduci non possit, punctio in perineo, vel in hipogastrio erit instituenda.

Cum error valdè perniciosus mihi videtur febres putridas respicere tanquam morbum particularem, ejusdemque semper naturæ, quia tunc eadem medendi ratio omnibus instituitur; liceat mihi Dissertationi coronidem imponendo, verba Ill. *Weiss* quæ illarum diversitatem demonstrant, referre. "Diversitatem, aut diversam modificationem febrium putridarum

(1) *De Haen* frequentissimè utebatur albumine ovi cum spiritu vini conquassato.

„ inter se probamus , inquit Clariss. hic Auctor , ex diversis-
 „ simis methodis curandi , feliciter adhibitis. Alii venæ-sect.
 „ methodo antiphlogistica , alii emeticis purgantibus , alii
 „ cortice peruviano , alii camphorâ , serpentariâ , arnicâ ,
 „ vesicantibus , alii acidorum mineralium largissimis dosibus ,
 „ putridas curarunt. Quomodo jam hæ diversæ indicationes ,
 „ hæc diversa medicamina sibi opposita in unâ eademque
 „ specifica feбри locum habuissent ; & quis tamen audebit
 „ felicitatem curæ Cel. *Haenii* , *Sidenhamii* , *Huxami* , *Tif-*
 „ *soti* , *Grantii* , aliorumque diversissimæ negare ? Quivis
 „ horum aliam febrim putridam curandam habuit , indole
 „ aut modificatione diversam , nomine eandem , quam suâ
 „ methodo sanavit. Nullum ergò dabitur remedium specifi-
 „ cum , cuique feбри putridæ adaptandum.

F I N I S.



ARGUMENTABUNTUR
N.N. D.D. PROFESSORES REGII.

N. D. PAULUS JOSEPHUS DE BARTHEZ, *Cancellarius & Judex.*

N. D. GASPAR JOANNES RENE', *Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANNES-CAROLUS DE GRIMAUD.

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.